

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio XVIII

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

MELCHIORE KUNCKELIO

Oscherslebiâ-Saxone.

In Festo Johannis Baptiste.

A. O. R. cl. M. C. III.

HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris

Oelschlegell.

V I R O

*Admodum Reverendo, Clarissimo, pie-
tate ac eruditionis laude insigniter
Condecorato,*

Dn. M. HENNINGO ENGELBRECHTO,
Ecclesiæ B. Mariæ Virg. Hallensis Diaco-
no uti vigilantissimo ita dignissimo, Ever-
getæ ac Mecænati suo demissè jugiterq;
colendo.

nec non

*Prudentissimis, Spectatissimis, multoq;
rerum usu Gravissimis*

V I R I S

Dn. CHRISTOPHORO FREUDEMANNO,
Archi-Episcop. Magdeb. Ærario, olim
Præfecto Aulico Dignissimo, Hospiti
Benignissimo, Promotori suscipiendo,
colendo.

Dn. URBANO GNEISTIO, Quæsturæ
quondam Rammelburgensis Præfecto
dignissimo, Favitori certissimo, omniq;
animi religione prosequendo.

*Hasce primitias Theologicas qua
possum animi submissione re-
verenter in sui commenda-
tionem ac favorem*

D. C.

RESPONDENS.



ANALYSIS
EVANGELII

in Festo

JOHANNIS BAPTISTÆ.

Luc. i. à v. 57. usq. ad 80.

ᾠλεγόμενα.



Res sunt præcipui ac primarii Ecclesie Doctores, quos Deus non in adulta etate ad ministerium vocavit, sed segregavit illos jam inde ab utero. Primus est Jeremias Propheta, qui de seipso scribit ex ore Dei, cap. 1. 5. priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires, sanctificavi te, & Prophe- tam gentibus dedi te. Alter est Paulus Apo- stolus, qui idem de seipso sic scribit, Galat. 1, 15. Deus qui me segregavit ex utero matris meæ. Tertius deniq. est Johannes Baptista, cujus

Gg

conce-

conceptionem annuncians Angelus, inter cœtera de eo testatur, quòd Spiritu Sancto repletus sit adhuc in utero matris suæ: Qui etiam testimonio Christi cœteris major, Matth. II, II. ut qui Angelico promissus oraculo, conceptus miraculo sanctificatus in utero, quemadmodum loquitur Bernhard. serm. de nativ. Ioh. Eius ergò nativitatem & festivitatem consideraturi deprehendimus ià in textu Evangelico

T H E S I S I.

Ubi partim Genealogia, in qua continetur nativitas secundum carnem, ubi occurrit temporis notatio v. 57. in quo subjectum: Elisabetha. Quæ fuit uxor Zachariae sacerdotis, ex tribu Levi; unde dicitur de filiabus Aaron, primi Sacerdotis summi Israelitici, Luc. I, 5. soror Anne matris Mariæ Deiparæ, teste Epiphanio lib. 3. contr. Hæret. cuius nominis ratio nihil aliud denotat, quàm DEI requiem vel iuramentum. Ut discamus nomina sæpè convenire rebus suis.

2. Et prædicatum, tum à temporis circumstantia: ubi impletum est tempus pariendi. Tempore nimirum legitimo & consueto, non à conceptione mense; ut eo ipso corroboraretur matrimonium, ne cavillatores haberent quod calumniarentur; & ne improbi,

probi, illicitos congressus tuerentur. *Ue*
 discamus etiam tempus pariendi observare,
 quò habeatur conjugium ab omnibus honorabile.

3. Tum effectus seu paritura: & peperit
 filium. Ubi in græco ἐγέννησεν pro ἔτεκεν usur-
 patur, Hebraeorum more, quemadmodum
 Matth. 1, 6. & Matth. 2, 4. siquidem steriles
 videbantur, & effœti, ideoq; tanquam peculia-
 re & singulare recensetur. *Ue* ergò observare-
 tur, tanquam peculiare & singulare quippiam
 recensuit Spiritus S: & Deus ex effœtis paren-
 tibus Johannem nasci voluit, quia *Vetus Te-*
stamentum iam eviluerat, Hebr. 8, 13.

4. Et vicinorum gratulatio v. 58. in
 quo antecedens, ubi eventus, & materia ad-
 hibita distributione subjectorum in gene-
 re: & audiverunt vicini & cognati eius.
Clam enim haberi non poterat, sed innotesce-
bat iis, qui in vicinia habitabant, uti etiam per
vicinos legitimus partus de jure probandus.
Cognati verò æquè presentes, ut qui talibus ne-
gotiis vel maxime solent interesse. Ue discamus
 vicinos non contemnere, neq; cognatos negligere.

5. In specie, causa: quia magnificavit
 Dominus misericordiam suam cum illa. *Ue*
 qui coelesti sua gratia & benedictione ipsam
 fecerat matrem latantē, secundum Psal. 113, 9.

Et merito dicit magnificavit, quia effœta erat Elisabetha, uti habetur Luc. 1, 7. Ut discamus, fecundationem opus esse divina benedictionis, secundum Psalm. 113, 9. sic Sara fatetur, Gen. 16, 2. sic Rebecca, Genes. 25, 21. sic Manua Iudic. 13, 3.

6. Consequens ab effectu : & congratulabantur ei. Sive felicia quæq; congratulabantur, propter sublatam ignominiam sterilitatis, quæ pro magna pœna atq; ignominia, habebatur in Veteri Testamento. Ut discamus felicitati proximi congaudere, secundum monitum Apostoli, Rom. 12, 15. sic Paulus fecit, Philip. 2, 16. Quin, inquit Augustin. in Psal. 128. ita consuetudo erat in gente Iudeorum, nemo transibat & videbat aliquid, vel in vinea, vel in messe, vel aliquid ejusmodi, non licebat transire sine benedictione.

7. Et secundum spiritum seu regenerationem, ubi partim ad circumcisionem oblatio v. 59. in quo iterum circumstantia : & factum est in octavo die. A nativitate scil. Id enim erat tempus ex instituto divino legitimum, Gen. 17, 12. Ut discamus tempus rerum peragendarum observare, neq; differre. Uude inquit Basilii Magni in exhort. ad Baptism. Si aurum Ecclesia distribueret, non
pro-

profecto diceret, cras mitte, cras dabis; verum
 tuam sedulus portionem velociter peteres, dif-
 ferri autem agra ferres. Quoniam vero non
 materia alicujus fucum, sed anima purgatio-
 nem tibi rex munificus pollicetur, meras excu-
 sationes nectis, impedimenta causasq; affers,
 debebas ad hoc donum accurrere, o rem ad-
 mirandam! Renovaris, nec conflagris; resinge-
 ris, nec contereris; curaris, nec dolorem sentis,
 & tamen hanc gratiam non expendis.

8. Et impellens causa, primaria: ve-
 nerunt circumcidere puerum. In domum
 nimirum puerpera, quae juxta legem Dei extra
 domum movere pedem non audebat, Deut. 12,
 2. Et hic praesens est turba, & circumcidendus
 est puer propter eandem legem, ut quae ex gen-
 te Israelitica aequè Messiam nasci optabat. Ut
 discamus sacramenta divinitus instituta non
 esse in arbitrio nostro, ut vel adhibeamus, vel
 intermittamus.

9. Et secundaria: & vocabant eum no-
 mine patris sui Zachariam. Vti in populo Dei
 usitatum, ad testandum illum, qui circumci-
 debatur, addici Deo ut Domino. Et inde etiã,
 in Baptismo nomina solent imponi, ut admo-
 neant nos de regeneratione, Ioh. 3, 6. de renova-
 tione, Tit. 3, 5. & de possessione, Rom. 6, 4. Et

quidem Zachariam, secundum patris nomen conantur nominare, eum in finem, ut virtutum vestigia premeret. Ut discamus filiis convenientia indere nomina.

10. Et nominis allegatio, circa quod occurrit antecedens, ubi matris concertatio v. 60. in quo in genere: Et respondens mater eius, Hoc est, dicens: ita enim respondere in sacris sumitur. Et cum pater eius mutus factus, conveniebat utiq; matri, quo, quomodo nominari deberet, definiret. Sic Abraham nominabat filium suum, quem genuit ei Sara, Isaac, Gen. 21, 3. sic Hanna Samuelem, 1. Sam. 1, 20.

11. In specie per negationem: nequam. Noluit enim ut Zacharias vocaretur; cuius instinctu facile colligitur, ut non casu fortuito, sed Angeli mandato, quod forsitan ex literis patris cognovit, sit ei impositum Luc. 1, 13. Ideoq; contradixit. Ut discamus muliercularum consilia non semper esse floccipendenda: non enim attendit Spiritus S. ut habet Bernh. ser. de Ioh. Bapt. sexuum differentiam, fragilitatem corporum, temporum annositate; sed quemcumq; & quandocumq;, & quomodo vult, dignantissima replet benignitate. Testatur etiam Pilati uxor, Matth. 27, 19. & Nabal's Abigail, 1. Sam. 25, 14.

12. Per assertionem: sed vocabitur Johannes, Ex, uti dictum, revelatione Spiritus S. Notat autem nomen Johannis nihil aliud quã gratiosum, quia majorem accepit gratiam, ut ait Chrysoft. lib. 45. hom. 16. Ut discamus imponere filiis nomina Christiana.

13. Tum cognatorum disputatio v. 61. in quo refutant sententiam à dissimili exemplo, ubi efficiens: & dixerunt ad illam. Cognati nimirum & vicini, qui unã aderant. Ut discamus, non ad omnia statim tacendum esse, sed contradicendum, ut veritas inquiretur & excutiatur.

14. Tum forma: cùm nemo est in cognatione tua, qui vocetur nomine hoc? Ignorabant enim, peculiariter ipsum à Deo jam antea per Angelum hoc nomen consecutum: sed cùm consuetum familiis & cognatorum nomina retinere, etiam voluerunt; quia quando mutantur nomina, ut ait Beda, mutantur & opera. Quamvis hoc nomen antea populo Israelis etiam auditum; in tribu enim regia filius Josie fuit Johannan, uti habetur 2. Paral. 17, 15. Luc. 3, 24. in tribu vero sacerdotali multi fuerunt hujus nominis, nam 1. Paral. 6, 9. Johannan est duodecimus in posteritate Eleazar; etiam ex filiis Core fuit Johannan, 1. Paral. 26,

3. ex Levitis, 2. Paral. 23, 1. & 1. Esdræ 10, 6. Fuit & in aliis tribubus nomen hoc usitatum, ut ex filiis Ephraim, 2. Paral. 28, 12. de filiis Jud, 1. Paral. 12, 4. Fuit & mulierum nomen, Luc. 8, 3. Luc. 24, 10. In cognatione tamen Zacharie proxima, nullus fuit, qui ita dictus,

15. Et apud patrem interrogatio v. 62. ubi habet modum: innuebant autem patri ejus. Per signa visibilia, quia loqui non poterat. Ut discamus in controversiis aliis decisionem esse relinquendam: quod etiam monet Apostolus Paulus, 1. Corinth. 6, 5. Simulq; docetur, patris potius esse jus quam matris.

16. Tum quæsitum: quomodo vellet vocari eum. Mirabantur quippe cognati & vicini, quid cause subsit, quare mater nomen Iohannis seligat. ideoq; patris sententiam, dum prestans vir erat, & spectate prohibitis, exoptant. Ut discamus jus paternum in filios potius esse, quam peregrinorum, ne simus in alienis curiosi, uti monet Sir. cap. 7, 6.

17. Tum est decisio, ubi occurrit iterum ejus postulatio v. 63. in quo antecedens, ubi modus: & postulans tabellam. Quippe loqui non poterat; ideoq; alio modo suam sententiam declarare conatur. Ut discamus varios esse modos exprimenda
men-

mentis & cogitationum, etiam oculis dicimur loqui.

18. Et effectus, per manum: scripsit. Quo mentem declararet suam, manu, cum oro non posset, uti Tertullianus loquitur lib. de idololat. cap. 23. Zacharias temporali vocis oratione mulctatus, cum animo collocutus, linguam irritam transit, manibus suis à corde dictat, & nomen filii sine ore pronuntiatur; loquitur in stylo, auditur in cera, manus omni sono clarior, litera omni ore vocalior. Ut discamus juventutem esse informandam, cum casus intervenire possit, quo minus quis loqui possit, manu tamen & scriptura vicaria idem prestari queat.

19. Per vocem: dicens: Johannes est nomen ejus. Atq; ita multò magis stupendum miraculum accidit. Dum enim Zacharias in tabella scribit, lingua ejus, quæ per novem menses ita ligata fuerat, ut loqui non potuerit, illicò solvitur. Et non imponit nomen, sed dicit, Iohannes est nomen ejus. Et sic gratia Dei nascitur, nomenq; magnum, uti habet Simon de Cassia, ostenditur, quod patri restituit vocem, gaudium vicinis, populo, sacerdotibus, quia sola gratia miraculum operatur & sola gratia ad dicendum veritatem, linguas fa-

cit disertus: simulq; innuitur, fore, ut Johannes sit vox clamantis. Unde Beda in hunc locum, meritò lingua parentis est soluta, quia vox clamantis in deserto est nata.

20. Consequens: & mirati sunt universi. Non tantum ob restitutum sermonem, sed etiam ob concordiam patris & matris, in nomine Johannis. Ut discamus Deum piorum afflictiones sapissime convertere in benedictionem. Inde Ambros. lib. 2. in Luc. cap. 1. vide quam bonus Deus, & facilis indulgere peccatis. Non solum ablata restituit, sed etiam non sperata concedit. Ille dudum mutus, prophetat. Hec enim gratia Dei maxima, quod eum, qui negavit, confitetur. Nemo igitur diffidat; nemo veterum conscius delictorum, premi divina desperet. Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. Vulnerat Deus & medetur, Job. 5. 18.

21. Et expressa Dei glorificatio v. 64. in quo medus, quoad totum: apertum est autem os ejus illicò. Quia non tantum hoc dixit, nomen ejus erit Johannes, sed sine dubio, pleno ore & sonora voce, multis narravit totam historiam, quæ ante novem menses in templo ipsi acciderat.

22. Quoad partem: & lingua ejus loque-

loquebatur. *Expressè & distinctè ut antea. Ut cognoscamus esse beneficium lingue, eumq̄, quē antea coact⁹ tacere, modò exultans clarè loqui voluit. Ut discamus, quando possumus linguā uti, etiam os aperire, quando aliquid proponendum: tenero supplantare palato verba est adulantium.*

23. Et effectus ab objecto: benedicens Deo. *Ut discamus per omnia, nos quoq̄, quæ facimus in verbis & operibus Deo benedicere, Coloss. 3, 17. Os enim nostrum, ait Bernardus de pass. dom. cap. 27. est ostium cordis nostri, per quod verba quasi quedam nuncia egrediuntur; nunciantia quid interius agatur in corde, quod verbis prudentibus & utilibus est referandum in tempore.*

24. Consequens est tum divulgatio v. 65. in quo accidens ratione hominum: & factum est super omnes timor vicinos eorum. *Admirationis nimirum, quòd Deus sit mirabiliter visus Zacharie, & eum libera-verit. Et factus est timor, inquit Theoph. in h. l. super omnes, propter miraculum loquentis Zacharie. Sicut enim prius cum obmutuisset, stupuerat populus; ita etiam nunc, cum reddi-tur ei sermo. Ut discamus miracula divina æstimare & vereri.*

25. Ratione locorum : & in omni montana Judæa. Ubi sita erat domus Zacharie, in Hebron ; pleraq; enim civitates, quæ in tribu Juda filius Aaron attributa, Jos. 21, 25, in montanis sita scribuntur. Ut moneremur sursum tendere, si velimus Deo servire.

26. Et modus : divulgabantur omnia verba hæc. Quasi facta insolita, dum tristitiâ affectus primùm Zacharias, postmodum letitiâ. Ut discamus ita solere Deum ad vesperam fletum excitare, ad matutinum letitiam, Psalm. 30, 6. largiri temporis serenitatem, Tob. 3, 22. Inde Basil. in schol. super Psalm. 125. inquit : Mos est sacri eloqui, si quando tristitia letaq; commemorat, tristitia letis in ordine preponere ; quoniam leta post malorum experientiam sive memoriam jucundius degustantur. Beneficium poenam sequitur. Ipse namq; pessundat, & rursus erigit. Percussit, & manus ejus curaverunt. Dolenda semper antepone, ut gratia nobis constantiores existant, cum malorum remedium, & datorum custodiam videamus.

27. Et de puero dubitatio v. 66. in quo notatio : & posuerunt omnes audientes in corde suo. Hoc est, observabant & notabant, quia videbant, Deum presentiam suam

am illustribus miraculis ostendere. Ut discamus, aequè singula notare.

28. Et interrogatio, quoad subiectum; dicentes, quisnam puellus iste erit? Ut sit admirationis testimonium. Et meritò quidem, quia tam stupenda circa eius conceptionem & nativitatem contigerant, ut qui ab Angelo prænunciatus, à sterilibus natus. Ergò non vulgaris.

29. Et quoad officium: & manus Domini erat cum illo. Habuit enim & in infantia & pueritia divinam efficaciam secum. Et hinc sine dubio factum, ut omnis Iudaea & tota regio circa Iordanem ad ipsum exierit, ubi predicare incepit. Ubi per manum Domini potentia intelligitur. Ut discamus Deum unicam esse causam felicitis successus.

30. Partim est *δοξολογία*, cujus præfatio v. 67. in qua occasio, ratione subiecti quoad nomen: & Zacharias. Qui, qualis fuerit, describitur Luc. 1, 5. Quòd fuerit sacerdos, non quidem summus, sed unus ex reliquis, de vice Abia, 1. Paral. 24, 10. 19. sub manu Aaronis, patris eorum, hoc est, minister summi Pontificis.

31. Quoad statum ex relatione: pater eius. Nimirum Iohannis, à quo secundum prædictionem ipsius

Angeli conceptus, & quidem postquam factus
 mutus, uti constat ex eodem loco, v. 24. ubi re-
 versus in domum suam absoluta hebdomade
 functionis: siquidem tempore vicis cogebantur
 abstinere à vino & sicera, Levit. 10, 9.
 etiam ab uxoribus, 1. Reg. 1, 4. in pecu-
 liaribus cubiculis, templo adjunctis habita-
 re, 3. Reg. 6, 4. Ut discamus etiam sacri ordi-
 nis homines licite vivere in matrimonio.

32. Ex qualitate: plenus Spiritu San-
 cto. Erat quidem antea quoque plenus Spiri-
 tu, sed hic quoad presentiam miraculosam,
 per quam novum & peculiare donum prophe-
 tia accepit. Ut discamus, sine Spiritus San-
 cti gratia nihil nos prestare posse in rebus
 divinis & sacris.

33. Et ratione prædicati per effectum: pro-
 phetavit, dicens, *Id est, & futura prædixit, &*
prædicata explanavit Eph. 5, 20. siquidem utraq;
formam prophetavit, quia partim de adventu
Messie, partim futura prædicit de officio Iohā-
nis. Ut discamus Deum semper excitare sacer-
dores hac tristissima facie Ecclesia, quales tum
temporis aliquos, qui nobis prophetent.

34. Tum tractatio, partim de Chri-
 sto, ubi propositio, Dei celebratio v. 68. in
 quo modus, in genere: Benedictus. *Hoc*
est,

411

est laudavit & celebravit per gratiarum actionem. Vt enim Deus nobis benedicit factis & dona distribuendo, sic nos benedicimus Deo verbis & gratias agendo. Vt discamus benedicere, non maledicere.

4. In specie ab objecto: Dominus Deus Israel. Vt describat verum Deum, quoniam singulare foedus in Iudeis erexerat, essentiam & voluntatem suam iis patefecerat, per certum verbum. Vt discamus, Deum quidem esse omnium, maxime tamen fidelium, cum quibus foedus pepigit.

38. Et argumentum ab effectu in genere: quia visitavit plebem suam. Nempe per gratiam, uti alios etiam visitat per iram, & tandem visitabit per gloriam. Visitavit verodum misit filium, ut prepararet Domino hospitium. Vt discamus, Deum, licet moram faciat, tandem tamen venire, & nos visitare.

37. In specie: & fecit redemptionem plebi suae. Uti ab aeterno decreverat, dum captivi eramus sub lege, nos redemit. Galat. 4, 4. Sicut August. habet: redemptio clamat captivitatem nostram: redempti sumus, quia captivi eramus. Vt discamus pro redemptione Deo gratias agere.

38. Et confirmatio, ubi salutis donatio

v. 69.

v. 69. in quo tum modus: & erexit cornu salutis nobis. Hoc est, datus est nobis potens Dominus: per cornua enim potestas intelligitur, Pl. 75, 11. & Daniel. 7, 21. Sic Christus est cornu ratione potestatis, quam maximam habet ab aeterno, ut Deus; & accepit in tempore ut homo, Matth. 28, v. ult. Atq; dum acquisivit nobis justitiam & salutem, rectè etiam cornu salutis dicitur. Cornu etiam dicitur propter regnum, dum ille rex regum, uti habet Victorius. Ut discamus Christum esse promptum & potentem pro nobis pugnare.

39. Tum locum: in domo Davidis, servi sui. Ob promissionem 2. Sam. 7. Pl. 132, 18. quia Messias ex semine ejus originem traxit; & quia nemini confert sua beneficia, qui nõ in domo Davidica, hoc est, in vera ecclesia versatur. Omnibus quidem salutem acquisivit, moriendo pro omnibus, 2. Cor. 1, 10. sed qui credunt, illi tantum accipiunt. Marc. 16, 16. Ut discamus esse in domo Davidis, hoc est in Ecclesia, si velimus Christum cornu esse nostrum.

40. Et promissionis recordatio, partim prophetica, conjunctim, uti testatur vaticinatio, v. 70. In quo, quoad fundamentum in causa: sicut locutus est per os sanctorum prophetarum, Zacharias enim sic
 ni

uti tria beneficia enumeravit ; sic tres quoq̄
fontes divinos aperit , ex quibus illa manant,
potissimū promissionem divinā : nec enim fallit
ea, dum quod verbis pollicetur, opere etiā exse-
quitur Deus, Num. 23, 19. Plal. 33, 4. *Vt disca-*
mus Deum in promissionibus suis esse veracem.

41. Et temporis circumstantia : qui
à seculo sunt. Hoc est, qui ab origine mundi
fuerunt. Ita promisit Deus semen benedi-
ctum, Genes. 3, 15. quam promissionem repe-
tiit per omnes Prophetas, qui testati sunt una-
nimiter Messiam esse Salvatorem mundi,
Actor. 10, 43. *Vt discamus prophetarum con-*
cordiam.

42. Distinctim, ubi est invictæ po-
tentia demonstratio v. 71. quoad hostes
apertos : salutem ex inimicis nostris. Id est
promisit se salvaturum & liberaturum nos ab
hostibus nostris. Et quamvis dura videatur
locutio, Hebraeis tamen usitata, qui syntaxin
verborum tribuunt nominibus, ut idem sit ac
salvatio de manibus hostium nostrorum. Intel-
ligit verò per hostes non carnem & sanguinem,
sed peccatum, & maledictionem legis, diabo-
lum, mortem & infernum, 1. Corinth 15, 54.
ipsumq̄ mundum, uti Paulus explicat, Eph. 5.
12. *Vt discamus Messiae nostri Christi in victam*
potentiam.

H b

43. Et

43. Et quoad clancularios: & de manu omnium, qui oderunt nos. *Hoc est, cum varii sint Ecclesie hostes, ab omnibus nos Christus liberavit. Ut discamus, non nisi per Christum nos ab omnibus liberari potuisse.*

44. Et clementiae usurpatio v. 72. in quo in genere de fundamento: ad faciendam misericordiam erga patres nostros. *Est enim misericordia fons omnium beneficiorum; siquidem nihil meriti eramus nisi supplicium, sed sentimus misericordiae interusarium. Ut discamus ad DEI misericordiam solum esse confugiendum.*

45. In specie de testamento: ut memor esset testamenti sancti sui. *Pactum enim Deus inierat cum Abrahamo, & sese obstrinxerat, quod velit ipsi semē excitare, in quo benedicende essent omnes nationes terra, Gen. 12, 3. Quod deinde solenni fœdere sub forma pacti, addito sigillo circumcisionis, Gen. 17, 7. obsignavit. Ut discamus Dei benignam clementiam.*

46. Partim jurata, quæ proponitur iterum conjunctim; & est ejusdem allegatio v. 73. in quo absolute: ut præstaret jusjurandum, quod juravit. *Suffecisset quidem nuda promissio, sed insuper ex abundantia Deus*

iusjurandum addidit, ne remaneret causa dubitandi. Huius igitur pacti & iurisjurandi recordatus est Dominus: & propterea in plenitudine temporis misit filium. Ut discamus iuramenta non esse illicita, dum ipse Deus iuravit, Esa. 45, 23. Gen. 22, 16. & est pars cultus divini, Deo optimè placens, Jer. 4, 12.

47. Respectivè: ad Abrahamum patrem nostrum. *Vti patet Gen. 22, 16. Psalm. 89. 4. Ut discamus Deum non tantum fœdus iniisse, sed etiam iuramento voluntatem suam confirmasse, ne dubitemus.*

48. Distinctim est de manu inimicorum liberatio v. 74. in quo causa, quoad efficientem: ac daret nobis. *Verba enim ista non ad precedentem versum, sed ad istum pertinent, uti patet ex articulo preposito. Ut discamus à Deo omnia provenire.*

49. Quoad finalem, continentem modum, per remotionem: ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati. *Hoc est, sine timore servili, spiritu spontaneo, hilariq; animo, qualis spiritus placet altissimo, Psalm. 51, 14. postquam à diabolo, peccato liberati; ubi pacem habemus & tranquillitatem conscientie erga Deum, Rom. 5, 1. acces-*

sum ad eum in fiducia, Eph. 3, 12. Ut discamus fiduciam habere in Deum.

50. Et effectum cum objecto per affectionem: serviremus ipsi. *Id est, coleremus ipsum, uti Syrus interpretatur. Serviendum ergo illi ex jure electionis, quia predestinavit nos, ut simus irreprehensibiles, Eph. 4, 10. jure creationis, quia nos formavit, Job. 10, 18. Et jure redemptionis, quia nos è potestate eripuit, Col. 1, 13. siquidem is vendicat sibi vitam tuam, inquit Augustin. qui pro ea posuit suam. Ut discamus nos non esse liberatos ad licentiam, sed ad servitium Deo prestandum.*

51. Et justitiæ continuatio v. 75. in quo modus in se, quoad Deum: in sanctitate. *Per quam intelligit cultum divinum & virtutes prima tabula, dum piè sanctèq; debemus vivere, quoniam ipse sanctus est, Levit. 19, 2. Ut discamus sanctitati studere.*

52. Respectivè, quoad proximum: & justitiam coram ipso. *Ut charitatè exerceamus, & virtutes secunda tabula sine hypocrisi, ipso quasi inspectante, dum cor intuetur. Ut discamus præter Deum etiam proximum diligere.*

53. Et tempus: omnibus diebus vitæ nostræ. *Neg; enim semel sufficit, aut incepisse tantum; sed opus est perseverantia & continua-*

tinuatione, sine qua nemo salvus erit, Matth. 12, 22. Non juvat manum ad aratrum admove-
vere, & postmodum respicere, Luc. 9. v. ult.
Ut discamus indefinenter Deo esse servien-
dum.

54. Partim quoad vaticinium de Jo-
hannis officio, vel singulari, & est prophe-
tæ appellatio v. 76. In quo titulus: & tu
puer propheta altissimi vocaberis. Hoc est,
habeberis uti Propheta, quemadmodum omnis
populus ipsum in summo honore habuit,
Matth. 11, 9. Ut discamus non semper Prophe-
tas de futuris vaticinari, verum etiam præ-
sentia denotare.

55. Et effectus quoad antecedens:
præibis ante faciem Domini. Uti Malach.
3, 1. & Esa. 50, 3. predictum, non à longè
sicut reliqui Propheta, sed ante faciem tan-
quam præco, & apparitor, secundum Chry-
sostomum. Ut discamus officium doctorum
esse ante Christum præire.

56. Consequens: ad parandum vias
ejus. Per predicationem nimirum pœnitentiæ
unde & vox clamans dicitur, Esa. 40,
3. Marc. 1, 3. Johan. 1, 23. & per testimonium
de lumine, ut omnes per ipsum in verum lu-

H b 3

mens

men crederent, Johan. 1, 7. *Ut discamus, doctorum officium esse parare vias Domino.*

57. De communi, respectu ipsius est scientiæ donatio v. 77. in quo effectus, & objectum: ad dandam scientiam salutis populo ipsius. *Nempè docendo veram viam salutis, & cognitionem vitæ æternæ, sicut Syrus habet. Ideò enim predicavit pœnitentiam, & paravit viam. Ut discamus doctorum esse informare, & scientiam communicare.*

58. Et modus: in remissione peccatorum. *Quòd scil. salus æterna non acquiritur legis operibus, vel majorum meritis, sed per imputationem justitiæ, Rom. 4, 6. Ut discamus salutis scientiam consistere in remissione peccatorum.*

59. Respectu Dei, est ejusdem miserationis v. 78. in quo forma & causa: per viscera misericordiæ. *Hoc est, per intimam & summam misericordiam seu dilectionem, quæ quasi ex matre & intimis uteri visceribus procedit, ut quæ est æterna regula justitiæ, Matth. 8, 18. Rom. 3, 4. Ut discamus omnem nostram salutem pendere ex Dei misericordia.*

60. Et efficiens: quibus nos visitavit oriens ex alto, *Id est, ipse Messias, qui*

ceu germen Davidis, ex radice Jesse, quod
 Græci reddiderunt vocabulo ἀνατολῆς, dum
 ex alto descendit, factus est germen Davidis,
 ex obumbratione altissimi. Est & sol justitiæ,
 Malach. 4, 2. Ut discamus nostrum esse orien-
 tem respicere, hoc est, Christum.

61. Et pacificatio v. 79. in quo effe-
 ctus cum objecto: ut illucesceret his, qui
 in tenebris & umbra mortis sedebant. Hoc
 est, hominibus extra Christum: sicq̄, commu-
 nem miseriam totius generis humani descri-
 bit. Illis igitur sol justitiæ Christus apparuit, seu
 luxit. Ut discamus nos in tenebris mansis-
 se, nisi Christus lux illa & sol justitiæ il-
 luxisset.

62. Et finis ultimus cum modo: ad
 dirigendos pedes nostros in viam pacis.
 Ideo enim illuxit, ut consequeremur pacem
 conscientie erga Deum, Rom. 5, 1. & in futu-
 ra vita eternam. Ut discamus Deum dirige-
 re pacem.

62. Tum quoad Johannis statum est
 declaratio v. 80. in quo de persona, ratione
 corporis: puer crescebat. Etate nimirum
 & statura corporis: siquidem statim gratiam
 sensit divinam, dum crevit. Quemadmo-
 dum & idem de Christo dicitur, Luc. 2, 4.

Hb 4

Et sic

Et sic verbum creandi de nutritione, augmentatione in pueris etiam legitur, Gen. 21, 1. Jud. 13, 25. Ut discamus, etiam esse gratiam divinam, habere justam aetatem & staturam, ex Matth. 6, 27.


63. Ratione animæ: & confortabantur spiritu. *Id est, in agnitione spirituali & habituali, rara indole, & preclaris donis, (ut sic meton efficitur pro effectu.) Spiritus Sancti: quia enim predictum erat, fore ut esset plenus Spiritu Sancto ab utero, id factum, dum magis magisque se exseruerunt charismata miraculosa, ut homines confirmarentur fore aliquem magnum. Ut discamus, profectum in pietate esse ab ipso Spiritu Sancto.*

64. De circumstantia tum loci: & erat in desertis: *Nempè Judæa, ubi multa deserta, uti Ziph, & Mahon, 1. Reg. 23, 15. Thecua, 2. Par. 29, 20. nam domus hujus Zachariae fuit in montanis sita: at ista Lev. 1, 39. uti & colligitur ex Jos. 15, 54. & 21, 13. propè deserta ista: quia locus fuit propior Hierosolyma & Jordani, ubi olim Amos fuit: ibi quidem inchoavit ministerium suum, circa domum paternam in deserto Ziph & Mahon, postmodum propius accessit ad alia deserta: unde in plurali dicitur, ad Jordanem, & ibi baptisavit, ubi Bethabara,*

per

per quem locum Josua cum populo Israelitico ingressus in terram benedictam; illuc abductus etiam populus in Babylonem & rediit. Vt discamus secreta loca optimè convenire eruditus & piis.

65. Et temporis: usque in diem ostensionis suæ ad Israel. Id est, usq; ad tempus predicationis, quod fuit secundum usitatam supputationem anno trigesimo ætatis. Idq; factum in festo tubarum, quo fiebat promulgatio anni jubilei: ut & illud vaticinium, Esa. 40, 2. impleretur, ubi dicitur, quod completa militia ejus. Atq; ibi non cornea buccina, sed voce clamante populum convocavit in magna hominum frequentia, qui ad templum Hierosolymitanum properabant eo tempore. Vt discamus, Deum omnia ordine & decenter facere.



N O T Æ.

I.

Cognati congratulabantur) Considera amicos Elisabethæ cum letitia ei congratulatos, quòd desiderio ejus satisfacti.

H b s

tisfa-


tisfactum ; ut discas proficienti in virtute equè congratulari.

II.

VOcari iussit Johannem) Considera non paternum esse nomen impositum, sed Johannis, quia precursor Auctoris gratia ; ut discas nominis gratiosi recordari.

III.

ZAcharias repletus Spiritu Sancto prophetavit) Considera post linguam solutam mox erupisse in laudes Dei ; ut discas quum aliquo beneficio affectus, equè Deum laudare.



CASUS I.

An legitimus partus etiam, qui septimo, vel undecimo mense nascitur ?

Non videtur:). Quia hic dicitur postquam impletum est tempus, v. 57. Luc, 2, quod est novem, ut plurimū, mensium

sum ordinariè, ut habet La Lamantius in libr. 2. Galen. de dieb. & Fortun. Fidel. lib. 3. de Relat. Medi.

2. Jura volunt, ut legitimus sit partus, qui intra legitimum tempus nascitur, qui talis, qui decimo mense l. 3. ff. de legitimis Hæredibus. & l. 29. ff. de lib. & post.

3. Et l. final. ff. de fideicommiss. libertat. l. ult. C. eodem tit. Nov. 39. c. 2. post decimum mensem non admittunt.

*Contra: 1. Non additur in sacris, quo mense debeant nasci, sed tantùm quod impletum fuerit: quia unumquodq; quidè habet temp⁹ nascendi & moriendi, Eccl. 3. 2. sed incertum homo Arist. 4. de gener. anim. c. 6. probl. 30. s. 10. quia tempera-
menta variant, quia vasa diversa.*

*2. Jura etiam septimo mense legitimum agnoscunt, ex autoritate Hippocra-
tis l. 12. ff. de statu hom. & l. 3. §. ult. ff. de suis & legitim. hæred.*

3. Hoc etiam Paulus tit. 9. l. 4. §. 4. receptarum sententiarum habet.

4. Ita


4. Ita & undecimo legitimum esse meminit Gell. l. 3. c. 16. Unde Menoch. c. 89. n. 46. Rauchb. par. 2. q. 24. n. 49. Nam qui mortuus mense decimo post mortem patris, natus est in mense undecimo, is, cōputatione à die conceptionis facta, si vir valens & sanus subitanea morte extinctus, & si in principio undecimi mensis editus legitimus Plin. l. 9. Natur. hist. c. 5. Arist. l. 7. partib. anim. c. 4. Baptista Montan. consult. medicin. c. 3. consult. 9. Tiraq. si unquam in verbo suscepit lib. n. 208. Alciat. de præsum. l. præf. 40. Codr. in Meth. testificā. c. 14. Roderi. à Castro de Natur. Mul. lib. 4. c. 1. Nancel. in analog. Microsc. ad Macro. l. 7. par. 4. Zacchia qq. Medico ll. tit. 2. q. 1. & seqq. lib. 1.

Ad contraria: 1. Fall. conseq. Dicitur completum, sed nullibi dicitur quòd sit novem mensium tantum: Distinguedum igitur inter partum editum & completum perfectumq. Zacchia d. l. q. 3.

Ad 2. Fall. secundum quid: Si post
deci-

decimum mensem natus conceptionis, non mortis, Cujac. ad Jul. Paul. tit. 9. l. 4. Tiraquell. d. l. Albericus Gentil. de nascendi temp. Tholos. lib. 9. c. 26. n. 22. Socin. cons. 65. n. 1. volum. 3.

Ad 3. eadem responsio. Distinguendum tamen semper inter legitimum partum & perfectum: siquidem qui septimo mense nascuntur, nunquam perfecti, sed semper aliquid desit, vel in cranio commissura hiant, vel aurium meatus occlusi. Inde decimus mensis est longissim^{us} nascendi terminus l. Gallus ff. de lib. & postū. Bart. ibid. n. 12. supra vix per decem dies partus portatur Zacch. d. l. q. 6. n. 16.



CASUS II.

An sedes primariæ etiam in Novo Testamento?

Non videtur: 1. Quia ubiq^{ue} Deus, ubiq^{ue} adorari potest, Joh. 4. 12.

2. Jura prisca ignorant tales sedes Clericorum.

3. Patres contrariantur huic præcedentia.

Con-

Contra hic : 1. dicitur quòd habitaverit in domo sua quidem, & tamen coactus sit vices obire suas & abire Hierosolimam, Luc. 1, 9.

2. Concilia probant, uti patet ex 1. 5. Hist. Eccles. c. 9. de Nicæno œcuménico concilio, ubi sancitur quòd Alexandrinus debeat per tres provincias Episcopos ordinare, can. 6. Concil. Nicæn. Sic concilium Aralatense can. 5. & 6. Et quidem Romæ in Italia, Alexandria in Ægypto, & Antiochia in Syria Cœle, addita postmodum Hierosolymitana propter passionem & mortem Christi, uti Balsamom ait, & habet Sozomenus Hist. Eccles. lib. 1. c. 17. Demum etiam addita est Constantinopolitana, in Constantinopolitano Concilio, ita ut secundum locum obtinuerit, Sozomenus lib. 8. hist. Eccles. c. 1.

3. Jura l. 8. C. de SS. Trinitate habent.

4. Debet esse ordo inter pastores, argumento Eph. 4, 11.

Ad contraria : 1. Fall. conseq. aliud est de cultu divino quotidiano agere,
aliud

427

*aliud de solenni conventu, & aliud de sede
pastorum.*

*Ad 2. Fall. causa: Mirum non est,
quum etiam planè Ecclesiam ignorarint
Christianam.*

*Ad 3. Fall. secundum quid: quoad
potestatem αυτοεγατοεμην & δυναμω,
non quoad ordinem.*

CASUS III.

An filiatio probari possit ex vicinorum testimonio?

Negatur: 1. Quia vicini ignorant domestica facta, qualia sunt matrimonialia.

2. Quia similitudo probat. Gratianus discept. forens. c. 567. n. 35.

Contra: 1. Hic vicini adsunt ut testentur ante fuisse sterilem, & modo congratulentur, Deum misericordiam ipsi exhibuisse, donando filium.

2. l. si vicinis C. 9. de nupt. Et licet, quæ publicè per ora hominum circumferuntur, certo plerumq; careant autore, atq;
ideò

ideò sæpè vana sint, l. decurionum 12.
 §. 1. C. de pœnis. Attamen cum fama
 circa res vel veras, vel circa proximas ve-
 ro versetur, æquum est, eam in his rebus
 plurimum valere, in quibus cum veritatis
 difficilis sit probatio, quid verisimile sit,
 lex ut plurimum inspicit & in dubiis fa-
 ma vicinia conjecturis præponitur l.
 cum de alieno. 18. §. 3. ff. de instruct.
 vel instrum. legat. Palæott. tract. de
 spuriis c. 2).

Ad contraria: 1. Fall. secund. quid:
 Non omnia: siquidem tam clam haberi
 non potest, quin innotescat, an genuinus,
 an secus, partus.

Ad 2. Fall. conseq. similitudo quidẽ præ-
 sumtionẽ facit, si potissimum interna acce-
 dat, sed non probationẽ. Gabr. concl. cõ.
 lib. 1. c. 14. n. 7. de præsumt. Menoch.
 de arbitr. jud. lib. 2. cent. 1. cas. 89. n.
 97. Mascard. de probat. concl. 792.
 n. 10. vol. 2. quia potest esse ex imagina-
 tione Bar. ad l. Gall. ff. de lib. & postum.
 uti & patet ex Gen. 29, 39. Videatur Ar-
 restum Tholosanum Corasii, Zacchias
 tit. 3. q. 4.

Uxor honesta solet curare domestica
sucta

Exonerare colos, & residere domi.

Sic ubi tempus erat pariendi; nascitur infans,

Et natum peperit mater Elisa suum.

Audit ut sanguis vicinaq; turba, quod ejus

Gratia mirandi magna miserta Dei.

Lux octava fuit quâ circumcidere prompti

Natum, Zachariae nomen eiq; volunt.

Nititur in contrâ mater nomenq; recusat,

At Johannis ait, nomen habere volo.

Inde Patrem verò nutu gestuq; rogabant

Querentes nomen quod vel & ipse velit?

Ille palimpsestum poscit dicitq; notatq;:

Sic volo, Johannis nomen, id ejus erit.

Zachariae sese solvunt retinacula linguae,

Quae Domini laudes officiosa canit.

Inde timor factus super omnes, fabula vulgat,

Totaq; Judaea natio sancta stupet.

Sensibus hac imis ponunt dicuntq;: quis iste

Euge puer? (Domini quem manus armat)
erit?

Tunc Pater ipsius Zacharias Numine plenus,

Fatidico sacrum carmen ab ore refert.

Sic Deus Israel benedictus: visitat ipse

Quippe suam plebem, quin redimitq; suam.

Erexit cornu nobis præ lustre salutis

Isaia pueri posteri' ate sui.

Sicut

Sicut id afflatus divino Numine vates
Ante retro longos praecinuerè dies,
Affore de nostris inimicis praesto salutem;
O soris nostri nilq₃ valere manus.
Nostrorumq₃ velit Patrum miserescere; prisci
Illius sancti foederis esse memor.
Iureq₃ iurando posito quodcunq₃ recepit
Thariada fidus praestitit ipse suo.
Ut daret hac nobis, essemus ut absq₃ timore
Hostis, & essemus libera turba iugo.
Prorsus ut essemus sancti justiq₃ subinde
Ante Deum, donec vita vel ulla foret.
At tu magne puer, Domini vocitabere vates,
Ibis & ante Deum ritè parare viam.
Et dabis ipsius plebi benè nosse salutem,
Et veniam scelerum rursus habere dabis.
Perq₃ Dei nostri miserenia viscera, queis nos
Phosphorus ex alto visitat ipse suo.
Lumine qui lustret pressos, caligine mortis
Dirigat ut nostros pacis ad omne, pedes.
Talia KUNCKELIUS proponit. Talia
pergat!
Glomus erit colus hac exonerata Dei.

uti precatur

GUEINZIUS,

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



VΦ 17




EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

TIARUM
ELICARUM
IVALIUM

visitio XVIII
ÆSIDE
IO GUEINZIO
sui Hallensis
Rectore
condente
E KUNCKELIO
lebiâ-Saxone.
hannis Baptiste.
R. cl. Dc. III.
SAXONUM
edum Melchioris
schlegell.

